



Universitätsbibliothek Paderborn

**Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio
XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum
Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

Estrix, Aegidius

Moguntiæ, 1679

Propositio XXXV. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

ut probabilis, quorum libri adiri poterunt.
Manu ipsa tangitur invidia in toto hoc nego-
tio, non perambulante in tenebris, sed dæ-
monii cuiusdam meridiani; à quo mirum est
potuisse imponi tam multis; omnium verò
miserrimè delusus est hic Accusator: neque
enim de suo prompts ea, quæ accepimus.

PROPOSITIO XXXV.

VIdetur probabile omnem fætum, quamdiu in
utero est, carere animâ rationali, & tunc
primum incipere eandem habere, cum paritur,
ac consequenter dicendum erit in nullo abortu ho-
miciudium committi.

Hanc propositionem tribuit Caramueli,
quem ex speciali, ut fas est credere, bene-
volentia erga Religiosos Cistercienses mona-
sterii Dunensis propè Brugas in Flandriâ,
appellat religiosum Dunensem. Potuisset
majori ratione appellare Doctorem Lovaniens-
em, atque etiam Satrianensium, ac Cam-
pensium Episcopum.

Sed verò Caramuel damnatae propositionis
non est autor: neque apud illum invenies,
unde hoc venire cuiquam in mentem possit,
Præter hæc verba in Theol. fund. n. 1163.
alias 1623. Profecto si Doctori Marco subscriba-
mus (Proto medico Pragensi) dicamusque om-
nem fætum, quamdiu in utero est, carere animâ

rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, rejicere omnino debemus eamdem abortus distinctionem (animati & inanimati) & dicere in nullo abortu homicidium committi. Ipse verò opinionem Doctoris Marci Proto medici affirmat improbabilem esse.

Ego verò diu quæsitum autorem Theologum, qui opinionem illam saltem diceret esse, aut fuisse probabilem, non inveni, nisi fortè sit Theologus hic Accusator, cuius imposturas jam dudum annumerio: hic enim reverà declarare audet, non solum opinionem illam Marci Proto medici, sed & propositionem damnatam, quæ ex illa fluit, fuisse probabilem: postquam enim propositionis autorem citaverat Caramuelem, hæc subdicit flandricè, quæ latinè reddo fideliter. Et quan-
doquidem omnes Jesuitæ censebant, opinionem probabilem securè, & in conscientia licere nobis sequi sine peccato, non poterant abhorrire ab eadem doctrina, sed admittere debebant ejusmodi re-
esse licitam, neque esse peccatum. Censet ergo audax nimium, propositionem inter omnes
65. enormissimæ absurditatis, quam nemo Theologus permisit elabi è suo calamo, saltem fuisse probabilem ante nuperum Decre-
tum Innocentii XI.

P R O